

A. S. N.  
DISSERTATIO JURIDICA

DE

**JURISPRUDEN-  
TIA RECTE  
TRACTANDA,**

Quam,

*Consensu Ampliss. Senatus Academici in illustr.  
ad Auram Athenaeo,*

*Publico examini submitunt*

AUCTOR

**PAULUS KROGIUS,**

Phil. Mag. atque Hist. & Mor. Docens.

Et

RESPONDENS

**CLAUDIUS JOHANNES MOLANDER, A. F.**

*Wiburgensis.*

In audit. Mai. horis ante meridiem solitis

Die XXIX. Novembr. MDCCXLVI.

---

ALOE, Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Acad. Typ.

*Handwritten signature or scribble at the bottom right.*

Sacræ Regiæ Maiestatis,  
Regniqve Sveciæ  
SUMME FIDEI VIRO,  
*Illustrissimo & Excellentissimo*  
COMITI ac DOMINO,  
**D<sup>N</sup>. CAROLO GUST.**  
**TESSIN,**  
SENATORI,  
Cancellariæ Regiæ CONSILIARIO,  
Supremo Aulæ MARESCHALLO,  
Reg. Academiæ Aboënsis CANCELLARIO,  
EQVITI Aquilæ Nigræ,  
Domino Gratosissimo,


**T**E, CELSISSIME COMES, *ut singulare gen-*  
*tis nostræ Decus veneratur & colit patria,*  
*quæ*

quæ virtutes, quibus supra communem mortalium  
sortem longe effulges, sibi perspectissimas habet:  
quæ fructus Tuorum operum sensit & in po-  
sterum quoque, per multam annorum seriem, sen-  
tire optat uberrimos. Te seculi nostri Gloriam  
suspiciunt & mirantur Exteri, apud quos heroi-  
cas Tuas dotes præsens, gravissimis functus ne-  
gotiis, declarasti: & quo Iple non pervenisti, eo  
illustris dudum fama pervasit. Te inquam ad-  
spectant ut Fulcrum Reipublicæ nostræ divinitus  
datum. Te, ut Populi literati Principem, vene-  
ratione & cultu prosequuntur Doctæ Societates,  
quæ, quidquid mens humana capit, Te comple-  
xum esse intelligunt. De Te Præside gloriantur  
Musæ Auricæ, favorem Tuum eximum in  
litteras earumque cultores multis expertæ. Ne i-  
gitur succenseas nobis CELSISSIME COMES, quod  
testificandæ submissæ venerationis desiderio astuan-  
tes, rudem & immaturam hanc opellam Tibi  
consecrare ausi fuerimus. Exigere hoc visa est  
æterna pietatis Lex, & animum nobis addidit  
gratia Tua hæcenus nemini denegata. Respice  
itaque favore quo soles Meletema hoc nostrum, de  
Jurisprudentia recte tractanda, Tu insigne Ju-  
stitiæ

stitix Exemplar & rarum prudentiæ speculum.  
Vive vero ad ultimos mortalitatis terminos felix  
atque beatus. ita vovet

ILLUSTRISSIMI atque EXCELLENTISSIMI  
NOMINIS TUI

*Subjectissimus cliens*  
PAUL KROGIUS;



§. I.

**S**cientia Legum generaliter *JURISPRUDENTIA* dicitur. Quæ si legum ferendarum doctrinam complectitur *Legislatoria*: si vero earundem genuinum sensum & applicandi modum tradit, *Interpretatoria* est. Hæc etiam a nonnullis *Jurisperitia* salutatur.

§. II. *Leges*, circa quas hæc nostra versatur scientia, regulas exhibent, quibus actiones liberas conformare obligamur. Duo itaque ad legem pertinent: *Regula* nimirum seu propositio de re agenda aut omittenda; & *obligatio*, quæ est connexio motorum cum ipsa actione. Qui itaque jus habet regulas vitæ aliis præscribendi, & motiva cum iis connectendi, is legem aliis ferre potest. Quidquid vero voluntatem vel noluntatem determinat *Motivum* dicimus: repræsentatio boni vel mali animam ad volendum vel nolendum determinat, motiva itaque cum actione connectit, qui efficit ut illam bonæ vel malæ excipiant consequentiæ, easque agenti repræsentat. Intelligitur hinc quæ sit

differentia inter legem & consilium, de qua multos sollicitos reddidit Wolfiana hæc obligationis definitio. Consilium qui dat, quid de re proposita sibi videatur docet, & rationes agendi, vel non agendi h. e. bona vel mala, cum actione naturaliter vel positive connexa, enumerat. Qui itaque alteri actionis alicujus suscipiendæ auctor est, alterum non obligat, sed tantum obligationis ejus, quæ jam est, interpretem agit: obligationem non facit, sed factam præsupponit & explicat; non enim motiva connectit, sed connexa jam recenset. Activa hæc, quam definiimus, obligatio, passivam infert obligationem, quæ est necessitas moralis, ad aliquid agendum, vel omittendum. Harum una sine altera concipi nequit. *Moraliter vero necessarium dico*, cujus oppositum salva lege est impossibile. *Actiones liberae*, circa quas leges occupari diximus, a voluntate nostra dependent, & a *naturalibus* differunt, quæ citra voluntatis deliberationem, per essentiam & naturam nostram determinantur.

§. III. Cum objectum Jurisprudentiæ constituent leges; tot ejus sunt partes, quot harum dantur species. Habent vero hæ suam obligandi vim, vel a Deo vel ab hominibus. Quæ Divina nituntur auctoritate, *Leges Divinae*: quæ vero humana, *Humanae* audiunt. *Leges Divinae* porro *naturales* sunt aut *Revelatae*: illæ, regulas vitæ quas in natura manifestavit Supremus rerum arbiter; hæ vero quas in verbo suo revelato nobis patefecit, complectuntur. *Revelatae* demum in *morales*, *ceremoniales* & *forenses* abeunt.

eunt. De legibus revelatis præcipere Theologorum est. De Jurisprudencia naturali ex professo agere nostri non est instituti. Quæ vero sit ejus necessitas in Jurisprudencia Civili mox dicetur. De legibus humanis quædam adferre, ad nostrum imprimis spectat propositum.

§. IV. *Datur lex Divina naturalis omnium mentibus indita.* Singula, quæ hanc demonstrationem ingrediuntur, sigillatim exponere lubet. 1. Omnia entia quoad possibilitatem & actualitatem a Deo dependent, ille enim solus independens omnium realitatum in se continet rationem. Cum igitur possibile ideo quid dicatur, quod sine contradictione concipiatur, omnium possibilitas ab intellectu ejus infinito, quo sibi omnia repræsentat, derivanda est. Primitiva vero rei possibilitas, seu convenientia eorum, quæ primum in re concipiuntur, ex quibus intelligitur, cur cetera rei actu insint vel inesse possint, essentia dicitur; adeoque omnium rerum essentia, & quæ cum iis necessario connectuntur attributa, hinc originem ducunt. ( per princ. Ontol. & Theol. Natural.) 2. Quæ entibus ad existentiam deductis accidunt mutationes, aut cum essentia & natura eorum consentiunt, aut non. Si illud, entis perfectionem promovent, consensus enim in varietate dat perfectionem, si hoc, ad imperfectionem tendunt. 3. Status est determinata coexistentia mutabilium cum iis, quæ rei constanter insunt. Actio est mutatio status producta ab ipso ente quod mutationem subit. Adeoque hæc vel ad perfectio-

nem, vel ad imperfectionem tendit ( 2 ); illa bona hæc mala audit. Experientia etiam comprobatur, actione sic vel aliter determinata, nostram perfectionem promoveri, vel non; Si enim literis operam damus, & morum studiis incumbimus, facultates animæ perficiuntur, & via ad felicitatem sternitur; iis vero neglectis, hæc frustra sperantur. Similiter qui vitam agunt dissolutam, & naturæ suæ adversam, se ipsos destruunt. 4. Quatenus vero actio, per suas determinaciones ex quibus constat, & quæ efficiunt, ut actio hæc sit, & non alia, aut ad perfectionem aut imperfectionem nostram tendit. ( 3 ), eatenus ipsi moralitas competit intrinseca: quæ posita essentia & natura hominis ponitur. ( 2 ). Et cum essentiæ rerum sint necessariae, æternæ & immutabiles, idem quoque de moralitate dicendum erit. 5. Cum autem moralitas actionis ex ejus ipsius & agentis essentia dependeat ( 4 ), hæc vero ab intellectu Divino ( 1 ), patet Deum moralitatem actionum velle, ita quidem ut quæ cum rerum essentia conveniunt, adeoque bona sunt, velit, quæ vero non conveniunt, adeoque mala sunt, aversetur: intellectui enim ejus infinito voluntas perfectissima conformatur. Nec sine contradictione concipi potest, Deum aliquid velle, quod intellectu nondum cognoverit, aut velle quod non bonum intellexerit: & contra. 6. Porro ea mentis humanæ indoles est atque natura, ut in id, quod ipsi bonum videtur, feratur, quod vero ut malum sibi repræsentat, aversetur ( per princ:  
Psy-



5

Plychol. ). Actiones vero bonæ vel malæ per se tales sunt ( 4 ), ergo anima non potest non eas appetere, has vero averfari, fi modo eas fatis cognofcat. 7. Cumqve ad<sup>o</sup> bonum vel malum, quod cum actione connectitur, rationes volendi vel nolendi exhibeat, iisque anima per fuam naturam determinetur ( 6 ): eæ vero rationes, quæ voluntatem aut noluntatem determinant, motiva fiut ( §. 2. ) ipfâ naturâ, cum actionibus fufcipiendis vel omittendis, motiva connexa fiut; adeoque naturæ inefi obligatio. 8. Cum itaqve naturæ inefi obligatio ad actiones bonas committendas, malas vero fugiendas ( 7 ), ipfa natura regulas actionum nobis fuppeditat, quæ ductu rationis innotefcunt. Per rationem enim nexum rerum, adeoque etiam actionum cum natura convenientiam vel repugnantiam, h. e. earum bonitatem vel malitiam, perfpicimus. 9. Hæ vivendi regulæ auctoritate Divina confirmantur. Deus enim conftanter optimum vult: fi itaqve creaturæ liberæ fuerint producendæ, non potuit etiam non velle & id intendere, ut & harum actiones circa bonum verferentur. Ille naturam conftituit; adeoque, quæ per eam determinatur, obligationem ( 7 ). Eum rerum ordinem efle voluit, ut ex eo & regulas & obligationem cognofceremus ( 8 ): cum vero fibi ipfi contrariari non poffit, & fapientiffimus nihil agat fruftra; intelligitur, Eum regulas iftas vitæ nobis manifefitare voluiffe, & velle etiam, ut iis regulis eaqve obligatione teneamur. Porro cum exiften-

tia & ejus continuatio ab ipso dependeat, adest ratio, cur etiam actiones quæ hanc consequuntur, nutui ejus conformandæ sint; habet itaque jus pro suo arbitrio omnia disponendi omnibusque actionibus leges præscribendi. Ejus adeoque voluntate nos obligari manifestum est. (§. 2.) Præterea repræsentatione attributorum ejus, spe & metu præmiorum pœnarumque positivarum, obligationi huic maximum additur pondus. His jam in summam collectis, patet dari in ipsa natura regulas, ductu rationis cognoscibiles, quibus obligamur, & quarum obligatio auctoritate Divina confirmatur. Regulæ vero in natura manifestatæ, & auctoritate Divina fundatæ, constituunt legem divinam naturalem: dari itaque hanc legem extra omne est dubium.

§. V. Hinc per modum Corollarii sequentes propositiones deducuntur. (1.) Lex naturalis obligat homines ad bonum faciendum malumque omitterendum. Et cum minus bonum respectu majoris malum sit, ex pluribus bonis optimum eligere jubet. (2.) Cum bonum sit quod nos statumque nostrum perficit, ad actiones, quæ perfectionem nostram promovent, suscipiendas obligamur. (3.) Ad perfectionem requiritur consensus: urget itaque L. N. consensum actionum liberarum, & inter se, & cum actionibus naturalibus. (4.) Cum conservationi & perfectioni nostræ inserviant actiones naturales: hæc enim earum est finis; per easdem rationes finales, quibus determinantur actiones

nes

nes naturales, determinari debent liberæ. ( 5. )  
 Reqviruntur ad actionem liberam efficiendam intellectus, voluntas & facultas loco motiva; quandoquidem jam, iisdem rationibus finalibus, determinandæ sunt actiones liberæ & naturales, cum harum Facultatatum mutationibus naturalibus, adeoque cum earum natura, usu & fine consentire debent actiones liberæ. ( 6. ) Bonum est, quod vult Deus, quodque cum natura consentit, hoc vero est agendum: voluntati itaque divinæ in natura manifestatæ convenienter vivendum.

§. VI. Actio legi attemperata *Recta*; ei vero repugnans *prava*: legi denique neque conformis neque repugnans *Indifferens* dicitur.

§. VII. Propositio, ex qua omnia legis naturalis præcepta deduci, adeoque omnium actionum rectitudo vel pravitas demonstrari potest, *principium legis naturalis* dicitur. De hoc, omni fere tempore, magnopere solliciti fuerunt scientiarum moralium Doctores. Cum autem omnis actio bona naturæ, & in ea manifestatæ voluntati Divinæ conveniat, mala vero repugnet, illam denique præcipiat L. N. hanc prohibeat, ( §. 5. ); propositionem hanc, *VOLUNTATI DIVINAE IN NATURA MANIFESTATAE CONVENIENTER VIVE*, principium legis naturalis constituere nulli dubitamus.

§. VIII. Ex universali hoc principio tria illa legis naturalis præcepta generalia: *COLE DEUM; PERFICE TEIPSUM; OFFICIA ALIIS PRAESTA*; singulis disciplinarum moralium partibus, fundamenti loco, sub-

ster-

sternenda, facili negotio deducimus. Deus est ens perfectissimum: infinitas suas perfectiones, in artificiosissimo hoc mundi systemate, patefecit: tantis animam nostram ornavit facultatibus, ut eas ex operibus ejus eruere valeamus. Cum vero nihil sine ratione agat, conveniens est, & vult ipse, suas perfectiones a nobis, & verbis & factis agnosci atque prædicari, adeoque motiva a perfectionibus ejus desumi, hoc vero cum nihil aliud sit quam ipsum colere, Deum ergo cole. (§. 7.) *Q. e. p.* Deus semper bonum vult, bonum vero cum essentia & natura nostra convenit, & ad perfectionem nostram tendit. Perfice ergo teipsum. (§. 7.) *Q. e. a.* Cum porro Deus omnium perfectionem velit, quod ex voluntatis ejus natura intelligitur, (§. 4) & ex omnium actionum naturalium consensu, ad cujuslibet conservationem & perfectionem, satis patet; ut itaque voluntati divinæ in natura manifestatæ convenienter vivas, noli aliis quidquam derogare, sed quantum in te est, confer ad perfectionem aliorum promovendam; officia ergo aliis præsta *Q. e. t.*

§. IX. Cum lex naturalis circa moralitatem actionum versetur (§. 5.) ista vero moralitas æterna, necessaria & immutabilis sit (§. 4.) pariter etiam L. N. eo respectu *necessaria, æterna & immutabilis erit.* (§. 5.)

§. X. *Lex naturalis omnes actiones determinat nec ullas relinquit indifferentes.* Omnis actio individualis omnimode est determinata & innumeris involuta

luta circumstantiis: hæc etiam semper certum habet finem, tendit enim ad aliquid efficiendum. Jam vero omnes actionis determinationes & ipse finis, aut cum statu hominis perfectissimo consentiunt: in quo omnes actiones, ne minima quidem excepta, cum statu præsentis, præterito & futuro, hi vero omnes cum essentia & natura, conveniunt; aut non; neque hic inter duo contradictorie opposita tertium concipi potest: Si illud, actio bona, si hoc, mala est (§. 4. n. 3.) Omnes itaque actiones vel bonæ vel malæ sunt, illas omnes præcipit has prohibet L. N. (§. 5.) adeoque omnes actiones determinat, nec ullas indifferentes relinquit.

Obligamur per motiva cum actione connexa, quæ aut intellectu aut sensu percipimus, si vero invincibilis fuerit motivorum ignorantia, & ultra posse suum nemo obligetur, cessat etiam in hoc casu eatenus obligatio. Ratione legis itaque nulla actio est indifferens, ratione vero obligationis, quatenus legis rigorem exquirere semper non valemus, multæ sunt indifferentes. Actio in abstracto, quatenus ad certum scopum tendit, indifferens esse nequit, in concreto vero, si ratio habeatur simul ipsius agentis, & mensuræ virium illius, quatenus ob innumeram rerum & circumstantiarum varietatem, limitatamque suam cognitionem, actionum cum lege consentum vel repugnantiam indagare nequit, indifferens est. Potest uni esse indifferens, alteri non item. Et quæ nunc indifferens est, aucta agentis cognitione, indifferens esse desinit.

§ XI. Lex naturalis perfectionem nostram urget (§. 5.) omnimodam quidem: infinitus enim ejus est rigor, cum nullus detur terminus, in quo perfectionem nostram exigere desistat. Hinc planum est *nos ejus custodia reddi felices.*

§ XII. Cum omnes actiones vel bonæ vel malæ sint (§. 10.) illasque omnes præcipiat L. N. has vero prohibeat (§. 5.) secundum hanc omnes actiones nostras determinare possumus. *Est itaque lex hæc adæquata.*

§ XIII. Cum porro immutabilis sit (§. 9.) nullasque actiones indifferentes relinquat, omnes accurate determinans (§. 10.) actio quæ legi naturali convenit bona, quæ eidem repugnat, mala necessario erit, ut hæc nulla ratione in bonam, illa vero in malam possit coverti. Adeoque cum ad bonum simus obligati, ad ea, quæ legi huic repugnant, jure obligari non possumus. *Omnis itaque lex huic in collisione cedit.*

§ XIV. L. N. nullas actiones relinquit irremuneratas. Etenim nullæ actiones sunt indifferentes (§. 10.) bonæ vero perfectioni inserviunt, adeoque bonas habent consequentias, malæ vero ad imperfectionem malis suis consequentiis conducunt. Bona itaque vel mala cum actionibus semper connectit L. N. quæ, ad actiones bonas suscipiendas malas vero omittendas, nos obligat. Consequenter agentibus semper pro indole actionis remuneratur. Immo accedit aliquando per dispositionem divinam remuneratio positiva (§. 4. n. 9.).

§ XV.

§. XV. Quanta sit legis naturalis præstantia atque dignitas. ( §. §. 9. 10. 11. 12. 13. 14. ) satis docent. Id tamen suo ambitu non consequitur, ut ad ejus rigorem actiones suas exigant mortales, ad mala quævis præcipites. Immorigeros, principiorum practicorum ignorantia occætos, perverfarum inclinationum pravorumque affectuum turbine abreptos, voluptatibus, avaritia & ambitione agitados, odio, invidia atque crudelitate sæpe ad necem usque lævientes, in officio continere nequit; adeoque ad felicitatem eam ob causam non sufficit.

§. XVI. *Societas* est duorum vel plurimum ad eundem finem obtinendum mutuo consensu facta conjunctio. Societas, quam securitatis & felicitatis communis promovendæ gratia ineunt plures, admittentes commune imperium, seu suas voluntates in unam personam physicam sive moralem resignantes *Civitas* audit. Qui suas voluntates in alium resignant *subditi*; is vero in quem resignantur, sive cui imperium ita defertur, ut actiones subditorum pro arbitrio ad scopum Civitatis dirigere possit, *Imperans* seu *Summus Magistratus* dicitur.

§. XVII. Imperanti itaque in civitate summa competit potestas, qua, nemine interpellante, omnia ad civitatis scopum disponere atque dirigere potest. Subditi vero cum sua jura in principem transulerint, iis jam ipsi destituuntur, Ejusque imperio obsequium debent. Intelligitur etiam ex his, scopum civitatis esse salutem communem, singulorum

nempe & omnium, quam pro virili promovere tenetur imperans.

§ XVIII. In statum hunc Civilem transire necesse fuit hominibus, ut contumacibus ad obsequium legis naturalis auctoritate Magistratus revocatis ( §. 15. 17. ) sub ejus auspicio suam indigentiam mutuo sublevarent auxilio, & exterorum invasiones conjunctis viribus propullarent: Et cum suam felicitatem promoveri quisque obligatus sit ( §. 5. ) hæc vero extra civitatem obtineri non possit ( §. 15. ) in civile imperium consentire homines jure potuerunt. ( §. 16. 17. )

§ XIX. *Legibus Civilibus carere non potest civitas.* Cum legi naturali non obtemperent homines ( §. 15. ) ad communem felicitatem, quæ scopus est civitatis, eorum actiones ab imperante dirigendæ sunt. ( §. 17. ) hæc vero directio cum locum habere non possit, nisi regulas vitæ subditis præscribat; regulæ autem quas subditis præscribit imperans leges civiles constituent, liquet legibus civilibus carere non posse Rempublicam. Quam necessarium est cuilibet in civitate sua jura, quæ animam, corpus, vitam, famam opesque illibata servari; & si quando violata fuerint, damna & læsiones restitui: Quantum prodest omnia negotia justitiæ, æquitati, honesto & decoro semper conformari: Quantum interest, singula tranquillitati internæ & externæ communiqve felicitati subordinari: Quantum denique conducit sancta ubivis Legum. N. custodia § 11. In his vero fundata est omnis



mnis reipublicæ salus. Tantum etiam Leges C. commendandæ sunt. Quanta ordinis tanta etiam legum est necessitas. His tanquam nervis continetur civitas: hæ societatis vincula sunt.

§. XX. Cum vero scopus Civitatis sit salus communis (§. 17.) neque subditi alia in imperantem transfulerunt jura, nisi quæ ad hunc scopum obrinendum faciunt; (§. 16.) *leges ferat imperans salutis civium convenientes, & ad hanc consequendam sufficientes.*

§. XXI. *Cum Legibus N. consentire debent Civiles.* Leges civiles felicitati & salutis Civium promovendæ inservire debent (§. 20.) adeoque bona præcipere; mala autem prohibere. Cum vero nulla sanctione, quod Legibus N. repugnat, bonum reddi possit, & contra (§. 13.) his illæ repugnare nequeunt: consentiant itaque necesse est. Neque imperanti, cum legibus naturalibus ipse subjiciatur (§. 4) integrum est quidquam his contrarium agere, aut aliis agendum præscribere (§. 13.)

§. XXII. Leges N. omnia facienda & omitenda suo ambitu complectuntur: (§. 12.) nec his repugnare possunt leges civiles (§. 21.) *hæ itaque illas tantum explicant, evolvunt, & ad facta civium applicant.*

§. XXIII. *Leges N. cogentes* sunt quarum obsequium, ut conservari possit genus humanum, vi temper & ubique extorqueri potest. e. g. Suum cuique tribue, neminem læde. *Non-cogentes* vero, quarum obsequium a quovis, salvo humano genere,

nere, violentè exigere non licet e. g. beneficia aliis præsta. Illæ a læsione alterius tantum modo abstinere jubent: cum vero ad felicitatem promovendam non sufficiat immunitas ab injuriis sola, verum etiam ad sublevandam indigentiam, quæ in minimis maxima esse potest, aliorum quoque opera & benivolentia requiratur; maxime civitatis interest, leges etiam non cogentes observari. Potest itaque imperans, cujus curæ commissa est civitatis felicitas (§. 17.) addito expresso præcepto, *L. N. non cogentes in cogentes permutare*, & sic Legum N. omnium custodiam, quæ via ad salutem civibus aperitur (§. 11.) singulis injungere.

Virtus officia legum omnium, etiam non cogentium exsequitur, hanc subditis inculcare, quantum potest, debet, imperans. Hæc enim spontaneo, legum obsequio, imperium ipsi reddit tutum & jucundum, civibus commodum & universæ Reipublicæ utile atque proficuum. Nec sine hac salus societatis facile promovetur.

Officia quæ per Leges N. non cogentes determinantur, perfecte quidem debita sunt, respectu Legis & voluntatis Divinæ, quæ omnimodam exigunt actionum nostrarum rectitudinem, & ad omnia officia explenda omnes obligant, quo ad jus vero exigendi ea imperfecta dicuntur. sunt amoris; hic vero cogi non potest; nec si illud ubivis liceret, bene generi humano consuleretur.

§. XXIV. *Leges N. absolutæ sunt, quibus per naturam & essentiam, ut homines, tenemur:*

*Hypotheticae* vero, quibus accedente demum facto aliquo humano obligamur. Cum itaque Leges civiles conjunctionem hominum in societatem supponant (§ 18. 19.) & nihil nisi Legum N. explicationem involvant (§. 22.) *Leges C. sunt N. Hypotheticae, auctoritate imperantis roboratae.*

§. XXV: Lex N. officia erga Deum inculcat (§ 8) hanc itaque cum explicare debeant leges C. eadem praecipiant necesse est. Cum vero officia in Deum, quæ Lex N. docet, genuinum ejus cultum non absolvant, placuit Summo Numini, pro immentia sua in genus humanum bonitate, defectum istum peculiari revelatione immediata supplere, adeoque cum obsequium Deo, in universali, quæ totum genus humanum continentur, societate summo imperanti debeamus (§. 8. 4.) *Leges C. quibus cultus Dei determinatur, cum revelatione ejus exacte consentiant, neque huic repugnent reliqua Legis C. praecepta.*

§. XXVI. Lex N. officia in nos ipsos & alios definit (§. 8.) eadem itaque injungant leges C. (§. 22. 24.) adeoque cives ad eam adigant vitæ rationem, ut quisque se statumque suum & internum & externum perficiat (§. 8.) aliis non modo nihil derogat, sed & ad felicitatem ejus promovendam concurrat §. cit. Deinde jura socialia, mutua nimirum conjugum officia, parentum & liberorum, Dominorum & servorum, omniumque concivium, determinent, & ubi rerum sic tulerit ratio, in his officia legis N. imperfecta, in perfecta

fecta commutent (§. 23.) omnia vero singulorum & omnium salutem subordinant, ita ut unius personæ, aut societatis simplicis sive minoris, felicitas, sine detrimento alterius promoveatur, & una in fine suo profectando alteram in eodem obtinendo juvet: atque sic perpetuo nexu & harmonia omnia consentiant, & ad eundem finem amice conspirent.

§. XXVII. *Legis N. obligationem præmiis & pœnis positivis intendant Leges C.* Non sufficit imperanti præcepta Legis N. rite explicasse & ad civitatem applicasse (§. 22,) ejus præterea est naturalem obligationem: negligentes ad obsequium revocare (§. 18.) neque hoc legibus suis C. obtinebit, si cujuslibet reliquerit arbitrio has servare vel minus. Nova itaque motiva h. e. bona vel mala his addat, quibus illarum obligatio muniatur: bonum autem quod cum actione connectit legislator, præmium positivum; malum cum actione connexum pœna positiva est: præmia itaque positiva, & pœnas positivas contineant leges C. hisque obligationem Legum N. intendant.

Præmiorum in numero sunt honores civiles; in casibus particularibus alia etiam bona. Statuta œconomica nonnunquam præmia obedientibus expresse decernunt ut *Bygg. Balk. C. 23. §. 6.* In primis vero ad Leges C. spectat sanctio pœnalis, qua pœnæ transgressoribus statuuntur, quæ immo-rigeris atque contumacibus in officio continendis optime interserviunt. Pœnæ capitales in rebus tantum maximi momenti locum habent, in corpus  
ejus-

ejusque partēs, in famam & in facultates denique pro ratione circumstantiarum decernuntur. Pœnæ vicem interdum subit sola actionis improbatio, quæ ipsa pro nulla habetur. Vide Jord. Bass. Cap. 1 §. 1.

§. XXVIII. Cum vero præmia & pœnæ, eum in finem, cum actionibus connectantur, ut ad bona incitentur, a malis vero deterreantur cives ( §. 27. ) neque majores neque minores sint, quam ut actionibus eliciendis vel impediendis sufficiant, vel quod idem est, *actionibus sint proportionatæ*, quod si obtinuerit, effectus obsequii Legi N. eo ipso conciliatur.

§. XXIX. Actio legi repugnans *delictum* dicitur, quod majus vel minus est, prouti magis vel minus statum civitatis, cujus perfectionem urgent Leges civiles ( §. 20. ) turbaverit. *His quoque proportionari debent pœnæ*, ita ut majora durioribus & **gravioribus**; minora vero lenioribus pœnis, **excludantur** vel **impediantur** ( §. 28. )

§. XXX. Cum in civitate magna sit personarum inæqualitas: *dignitati etiam earum pœnæ sunt accommodandæ*. pœnarum enim finis est, mala sive delicta vel prorsus excludere, vel saltem impedire ( §. 28. ) & illæ his proportionatæ sint. Eadem vero pœna nobilioribus turpior esse potest, quæ inficetæ plebi minus turpis est. Leniores itaque illis, duriores his decernendæ sunt.

§. XXXI Leges promovendæ civitatis felicitati interserviunt, adeoque pœnas cum iis tantum actionibus conjungunt, quæ ad felicitatem civita-

tis quidquam momenti trahunt: quare quotidianæ infirmitatis delicta non coercent, semper inbecillitatis humanæ rationem ducentes, & id ubique caventes, ne summum ius summa fiat injuria. Dem. Reg. §. 10.

§. XXXII. Lex N. quam explicant & ad civitatem applicant Leges C. bona præcipit & mala verat. (§. 5.) nullam actionem relinquit indifferentem (§. 10.) est adæqvata (§. 12.) infinitum habet rigorem, & maximam urget rectitudinem (§. 11.) nullus itaque cogitari potest casus, in quo actionem non determinet. Cum vero infinita pro ratione status, loci, temporis ceterarumque circumstantiarum, esse possit casuum varietas; non nisi infinitus intellectus, qui omnia adæqvate cognoscit, semper & ubique actionis cum fine nexum, & quid quæque ad eum obtinendum conducatur, pervidere potest. *Tantum abest, ut intellectus noster arctissimis inclusus limitibus, quid lex in quolibet casu determinet, & quam actionem præcise cuiuslibet fini subordinet, investigare possit.* In paucissimis rebus, iisque maximi momenti, exacte actionis indolem, eiusque cum fine suo nexum necessarium, perspicimus: in multis actionem, cujus nexus cum fine necessarius esset, explorare non valemus; ex pluribus solummodo unam præ altera commodius eo facere novimus; in plerisque quid optimum sit convenientissimumque, judicare omnino non possumus.

§. XXXIII. *Sapientia eligit optimum: prudentia*

*sia* sapientiæ præcepta exsequitur, illa delineat, hæc vero applicat. Sapientia, quid ad finem præcise faciat decernit: prudentia idem effectui mandat, & præterea, quæ per rationem ipsius finis & mediorum non determinantur, sed executioni aliunde, ob rerum contingentium multitudinem, ex improviso accedunt, nulla sapientia nullaque perspicacia humana prævidenda, aut removet, si fini obstant, aut in suos usus convertit, si eo quid conferant. Et sic consilium in arena capit, sine quo in applicatione etiam eorum, quæ sapientissime decreta sunt, non hæere modo, sed & scopo interdum penitus excidere possemus.

§. XXXIV. Quid lex faciendum definiat semper & ubique indagere non possumus (§. 32.) Licet itaque, cum ad optimum sumus obligati, *prudenter eligere & applicare id quod convenientissimum nobis videtur*: quamvis subinde fieri possit, ut revera optimum & lege præfinitum sese nobis deliberantibus subducatur. Et tamen actio hæc mala non censetur, ob defectum cognitionis in agente (§. 10.) non vero ob limitatam quandam legis extensionem (§. 32.)

§. XXXV. *Patet itaque alia esse officia legis, alia prudentiæ.* Lex unicam definit actionem, eamque semper optimam, & necessario, si finis obtinebitur, suscipiendam: prudentia deliberat & ex pluribus convenientissimam eligit, quæ aliquando optima, & lege determinata, non est. Lex summum exigit rigorem: prudentia ex arbitrio, ca-

suam identitate & similitudine sæpe agit; si enim certa quædam actio lege determinatur, necessario eam suscipere debemus, nec nobis integrum relinquitur, aliam vel aliam eligere. Si vero ex prudentia sola agendum fuerit, unam vel aliam pro lubitu, quæ commodissima videtur, suscipere possumus. Sic e. g. Legis est officium facultates intellectuales perficere; huic vero vel illi scientiarum parti imprimis incumbere, si eadem videantur circumstantiæ, & ad alias æque apta fuerit natura; id vero prudentiæ est. Hæc autem prudentiæ officia, majori accedente cognitionis gradu in debita abeunt. Prudentiæ præceptum in edictum legis transit, & quod arbitrii erat, necessarium jam evadit. Semper quidem ex lege N. necessaria est prudentiæ applicatio, ipsum vero hoc vel illud prudentiæ præceptum Lex non determinat (§. 34.)

§. XXXVI. *Prudentia politica circa leges Civiles observanda.* Etenim leges C. naturales tantum explicant, & ad civitatem adplicant (§. 22); cum vero legum N. rigorem in omnibus assequi non valeamus (§. 32.) & varia etiam observanda circa ipsam earum adplicationem ad civitatem occurrant, (Lex N. enim in diversis casibus eandem actionem diversimode determinat, prout quilibet casus id requirit (§. 32.)) prudentia utique opus est, & ex hujus regulis determinanda sunt, quæ præcepta legis injungere non videntur. (§. 33. 34.) prudentia autem ad civitatem adplicata, politica dicitur. Observanda itaque est in ferendis legibus prudentia politica. Non



Non sufficit hic politica generalis, de promovenda civitatis salute, universalis tradens: specialiorrem desideramus, quæ leges naturæ ad quamlibet Rempublicam singularem, pro diverso ejus statu, diversa indole, structura atque compage applicat, pariterque quid huic convenientissimum sit, ex optimis prudentiæ regulis docet.

§. XXXVII. Lex N. in singulis casibus singulare quid injungit, adeoque pro infinita casuum varietate infinita præscribit (§. 32.): quæ cum ab intellectu finito pervideri nequeant, *regula quaedam generali ob similitudinem*, sedula tamen adhibita cautione, ne quid nimium admittatur, *comprehendi possunt*. Ne desit in civitate norma, ad quam actiones fuerint examinandæ: & ut sic licium multitudini occurratur: Sic e. g. in patria majorennitas ad annum 21. *Artsda Bass. XIX. Cap. 1. §.* præfinita est, aliis licet maturius, aliis vero tardius plenum rationis usum adsequentibus. Hoc tamen svaedet applicandi Legis N. facilitas: & consultius omnino est, singularem rerum varietatem, exiguam quam sæpissime quidem illam, negligere, quam omnia, cum sigillatim intelligi nequeant, confusio ni involvere.

*Propositiones vero generales, quas continent leges C. & ex quibus ad quemlibet casum specialem applicatis, actio dijudicanda venit, non sint strictiores, ut pauciora; nec latiores, ut plura sub se comprehendant, quam fas est, & ex intentione legislatoris comprehendere debent.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII. Si vero contigerit, legis N. præcepta ad communem regulam reduci non posse, *infinita in hoc quoque casu præcipere solent Leges C. ex scopo societatis, sine actionis, indole casus, institutis, moribus, aliisque legibus. temporum, locorum ceterarumque rerum circumstantiis, intelligenda, & mediante præcepto generali de eligendo optimo derivanda. Sic multis legibus & statutis hæc subnectuntur verba: i öfrigit har veder, bdrande at ställa sig efter omständigheterna! och Wära andra utfärdade förordningar.*

§. XXXIX. *Legibus N. aliquid interdum addunt Leges C. In civitate interest actiones & mores civium non modo legi adtemperari, verum etiam requiritur, ut eorum vivendi ratio, ut & indoles atque veritas ipsorum factorum, ab aliis cognoscatur. Certas adeoque formulas, conceptiones verborum, solennitates & ceremonias: e. g. pactis, contractibus, sponsalitiis, testamentis ceterisque adiungunt Leges C. quas prudentia docet: L. N. definire non videtur. Pariterque actiones forenses & judicia legibus N. accommodant L. C. quibus lites civium de mutuis juribus dirimuntur, & de eorum controversiis sententia fertur: vel etiam in his facta eorum cognoscuntur, & ad legis rigorem exiguntur, ac denique obedientibus præmia, vel transgressoribus pænæ decernuntur. Hæc omnia cum Leges N. non determinent, patet nonnulla his a civilibus superaddi.*

§. XL. Circa judicia vero, media juris persequen-

seqvendi optima, maxime videndum est Imperanti; ut de jure suo obtinendo certi esse possint subditi, & ab omni injustitiae periculo immunes; adeoque ut jus semper vere & ex omni parte accurate dicatur: deinde ut facile b. e. minimo negotio, minimisque impensis, & quam citissime denique jure suo potiantur. Ne iis quidquam derogetur, aut etiam facultates eorum vel frustra consumantur, vel penitus exedantur. Ut vero in omnibus servetur ordo: tempus, locum, modum & causam, de qua intentari debet actio, definiat imperans; ut intelligatur, quando & quamdiu? ubi & apud quem? quo modo vel secundum quas regulas? qua de re & cur? actio possit suscipi. Ad substantialia vero ipsius processus referunt Icti narrationem facti, responsionem, probationem, defensionem. & demum sententiam. Ex generalibus his, quæ huc pertinent, specialiora in sequentibus sumus demonstraturi.

Prudentia hic porro docet, jura civium incerto judicium favori minime esse committenda; id efficiendum esse, ut corruptionibus nullus relinquatur locus; ut partium studia gravissimis publicisque poenis coerceantur; ut a corruptionis flagitio abstinentes, præmiis ornentur, & ad majora dignitatis fastigia, extollantur: ut sententiæ inferiorum judicium, a superiorum ordinum judicibus, accurate explorentur. Provocatio vero ad altiora tribunalia neque frustra denegetur, nec inconsulto permittatur. Peropus etiam est ad ambages processus amputandas, Caufidicorum avaritiam certis legibus castigari. &c.

§. XLI. *Legi N. aliquando detrahunt leges C. Saluti reipublicæ interviunt leges C. adeoque easdem a civibus servari maxime interest; ( §. 17. ) cum vero legibus N. quædam superaddant ( §. 39. ) consultum etiam est, ut neglectis iis quæ adduntur, ipsius actionis nulla habeatur ratio, ac si facta nondum fuisset; ita e. g. sponsalia, quæ pacto ex Lege N. absolvuntur, nisi præsentibus testibus peracta fuerint, nulla habentur. Gistern. B. C. 3. §. 1. Sic matrimonium nullam est, nisi accesserit *ιερολογία* Sacerdotalis. Patet itaque in hujuscemodi casibus Legi N. quædam detrahi. Hinc etiam Ulpianus jus civile dixit, quod neque in totum a naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaque cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, ius proprium b. e. civile efficitur.*

§. XLII. *Genio populi, quantum id fieri poterit, accommodandæ sunt leges civiles. Cum ex pluribus optimum sit eligendum, id vero convenientissimum sit leges ferri, quæ ex una parte civitati maxime profint, ex altera vero civibus, eorum ingenio, inclinationibus propensionibusque minime repugnent; patet in his etiam commoditati eorum, tanto magis consulendam esse, quod hujus quoque obtinendæ & conservandæ gratia in civitatem coierint. Cives virtutis studio moribusque cultiores, mitioribus tenentur legibus, & lenioribus subjiciuntur pœnis. Gentes vero teroces & barbaræ, durioribus remediis in officio continendæ sunt. Neque enim alias finis societatis obtinebitur: cum etiam*

etiam seditionibus, intestinis motibus rebellionibusque, exitium civitati minantibus, pabulum subministrare possint leges, a civium indole longius deflectentes.

§. XLIII. Non omnes gentes æqualiter in eadem feruntur vitia: aliæ iniuriis inferendis, aliæ voluptatibus, aliæ aliis affectibus delectantur, & in varia sic propendent mala. Prudentiæ itaque est, ut vitiis, in quæ cives maxime videntur proclives, gravissimis legibus & pœnis occurratur, reliqua lenioribus impediatur. (§. 28.) Hinc etiam si delicta quædam in consuetudinem abierint, pœnæ intendi debent, & in graviores permutari.

§. XLIV. Præterea civium animi plus vel minus in vitia propendent: hinc legum multitudo æstimanda venit. Ne sint pauciores, quam ut salutem civitatis, & peccatis excludendis, sufficere possint. Neque nimis multæ, ut libertatem civium plus justo constringant, laqueas quasi & insidias ipsis struant, confusionem & difficultatem applicandi pariant, fenestramque aperiant arti rabulisticæ.

§. XLV. Mores civium Legibus N manifestis non repugnantes, si nullis summi Magistratus edictis determinantur vel restringantur, tacito adprobati consensu, legis auctoritatem induunt. §. 14. Dom. Neg., interdum etiam in œconomicis consuetudines, quamvis cum legibus quibusdam aut statutis, non videantur convenire, legum vim retinent §. 13 Dom. Neg. ob infinitam enim locorum varietatem, generalia statuta œconomica

singulis locis æque accommodata, semper condi non possunt. Mores vero legibus repugnantes, caute eradicantur: & quæ in prudentiæ regulas impingere videntur, sensim emendantur.

§. XLVI. *Ex aliarum gentium & civitatum legibus, institutis, moribus & exemplis leges formare lux civitati convenientes, & quæ aliis proficua sunt, etiam in suos usus transferre, principi interdum suadet prudentia.*

§. XLVII. Et licet civium non quidem sit disquirere, utrum leges justæ vel æquæ sint, nec ne: hoc enim si liceret, nulla legum esset vis, nulla utilitas vel efficacia; maxime tamen ad amorem & venerationem, ut & liberum spontaneumque obsequium erga principem, incitantur subditorum animi, si quantum fieri poterit, tales condantur leges, quarum convenientiam cum rerum natura, & sine societatis, & quarum in vita utilitatem perspicere possint cives. Hinc etiam in nonnullis statutis, præloquia, quibus hæc explicantur, aliquando præmittuntur, semper tamen legum ferendarum causas & rationes detegere opus non est, nec prudentiæ conveniens.

§. XLVIII. Denique Leges perspicuæ sint & brevès, ut facilius intelligi & memoriæ mandari possint; neque enim alias ad praxin transferuntur, sint etiam rite promulgatæ, nisi enim cognitioni civium exponantur, iis neque obligari cives, neque earum neglectus ipsis imputari potest. Nec tandem facile permutantur, cum inconstantia auctoritati dero-

deroget; & si continuis subjiçiantur mutationibus, civibus, quid in hoc vel illo casu faciendum sit, certo constare non possit. Mutatis vero moribus & institutis, aliisque circumstantiis, leges his adtemperari; ita ut saluti civitatis optime ubique consulatur, maxime est conveniens. conf. Dom. Reg. §. 7.

§. XLIX. Cum vero saluti reipublicæ intervenire debeant leges, necessarium omnino est, ut actionis indolem, quæ lege determinanda est, ejusque cum salute publica convenientiam perspiciat legislator, alioquin enim nunquam leges salutare & utiles condere poterit. *Exquisita itaque rerum, de quibus leges fert, notitia sit instructus.* His vero omnibus cum ipse unus sufficere non possit, aliorum utatur consiliis, qui rerum optime gnari sunt.

§. L. Atque sic pro ratione instituti legum civilium indolem excussimus, & quæ ad jurisprudentiam legislatoriam spectant, paucis delineavimus. Cum vero leges ab omnibus hominibus, in tanta ingeniorum varietate, sub omnibus circumstantiis, omni loco & tempore, nullo negotio intelligi possint, ordinis requirit ratio, ut de scienti legum interpretatione, & prudenti earum applicatione, agamus. Et hæc ad alteram jurisprudentiæ partem, quam (§. I.) Jurisperitiæ diximus, pertinent: qui vero hac instructus est, Jurisconsultus appellatur. *Est itaque nobis Jurisconsultus, qui scientia pollet L. C. distincte interpretandi, &*

prompte adplicandi. interdum etiam *Jurisperitus* vel *Jurisprudens* dicitur.

§. LI. Hinc per modum corollarii sequitur, Jurisconsulti esse Legislatoris mentem aperire. Jurisconsultus etenim leges interpretabitur, id adeoque efficere debet, ut intelligantur h. e. ut genuinus earum sensus constet, is vero genuinus earum est sensus, quam cum iis conjungit ipse earum auctor. Injunctum adeoque est jurisconsulto, mentem legislatoris aperire. §. 12. Dom. Reg.

§. LII. *Requiritur itaque a JCO omnium primo notitia Linguae.* Nemo enim leges intelligere, & genuinum earum sensum aperire potest, qui linguam, qua consignatae sunt, nescit. In patria itaque jurisperitus, non modo linguam Svecanam hodiernam probe calleat, sed & antiquam Sveogothicam sciat, ut leges veteres interpretari, & terminos artis illinc adhuc nobis residuos, facilius adsequi possit. Pariter etiam, qui jus dicit in iis patriæ locis, in quibus incolæ aliis utuntur lingvis, eas sibi reddat familiares, necesse est; ne in causis cognoscendis, cæterisque negotiis, quæ sui sunt officii, aliorum fidei multa tribuens, in errores sæpe deducatur. Quemadmodum lingua Latina plurima exstant egregia scripta, quæ scientiam juris variis modis illustrant, ita qui jurisprudentiam docebit, hujus notitia carere non potest. Requiritur quoque præterea cæterarum linguarum cognitio, quæ ad legum scientiam aliquid conferunt. In sequentibus enim constabit, aliarum quoque gen.



gentium jura novisse, Jurisconsulto per quam utile esse.

§. LIII. *Alterum Jurisconsulti requisitum est, excultum judicium.* Nullo defuerunt tempore juris studio addicti, qui a recto tramite deflexerunt. Multi enim olim opinati sunt, & vereor ne etiamnum putent, se omnem exhaustisse jurisdoctrinam, dum vastam legum multitudinem memoria comprehendunt, quas confule tantum intelligunt, veras earum rationes ignorantes. Hi tantum infra culmen, quod attigisse sibi videntur, consistunt, quantum differunt, a vera jurisprudentia Leguleismus, Pedantismus, juridicus & Rabulismus. Alia vero Jurisconsulti est ratio, qui veram legum indolem & fundamenta perspicit. Hic si ad praxin pervenerit, distinctam & exquisitam sibi, de re ipsa in disceptationem veniente, format notionem, & causa satis cognita, veram atque circumstantis convenientem, ferre potest sententiam. Novit ille explorata, a minus exploratis, certa ab incertis, probabilia a minus probabilibus discernere. Varietas enim casuum est tantum non infinita. Et acre omnino requiritur judicium, ne pro iisdem habeantur, quæ talia non sunt. Simile namque non est idem. Hic ex tanta legum multitudine casui proposito optime accommodatam reperiet, circa hoc vero non una occurrit difficultas. Quis igitur negabit, excultum judicium a Jurisconsulto iure exigi. Non sufficit illi generalis præceptorum logicorum theoria. Non sufficit ratiocinandi artificia,

ficia, & interpretandi regulas cognovisse. Non denique sufficit modum & rationem, quæ gradus probabilitatis ad certas mensuras revocantur, perspexisse. Necessè omnino est, hæc omnia rite & promptè applicare, sciat. Ut paucis me expediam: naturalis ingenii bonitas, scientia multiplex & assidua exercitatio, ad progignendum iudicium præcticum, concurrere debent.

§. LIV. *Tertium Jurisperiti requisitum est eloquentia.* Exigitur enim, ut non modo ipse, qui jurisprudentiam docet, apte ac concinne loquatur & scribar, verum etiam legum studiosos in stylo forensi informet. Veram autem & maculam requirimus eloquentiam, ab umbratili & rabulistica probe discernendam. Huic vero comparandæ non sufficiunt veterum Rhetoricorum præcepta, quæ recentiores tantum non omnes fideliter descripserunt. Illa enim praxi fori, quæ apud Græcos atque Romanos erat, sunt accommodata. Nec dubium, quin si veteres illi dicendi Magistri, in nostra vixissent republica, alias omnino regulas tradituri fuissent. Eloquentia itaque præsentī ului adplicabitur.

§. LV. Quæ ( §. 52. 53. 54. ) exposuimus prærequisita Jurisconsulti fuere, his jam instructus, & exquisita legum ipsarum patriæ cognitione imbutus §. 6. Dom. Reg. leges enim quas ignorat, interpretari & adplicare nequit. *Sciat palmarium suum officium esse, veras legum rationes, detegere.* Jurisconsultus enim scientia Legum gaudeat. ( §. 50. )  
scientia

scientia vero cognitionem rationum involvit; legum adeoque rationes reddere debet. conf. §. 1, 12. Dom. Reg. Mentem legislatoriam explicabit, (§. 57) ad hanc vero adsequendam maxime conducit rationes, quibus ea ad has vel illas leges ferendas determinata est, perspexisse. Cum enim varii se offerre videntur sensus, genuinus, observatis interpretandi regulis, & vera legis ratione detecta, dignoscitur. §. 12. Dom. Reg. Neque nuda sufficit Legum cognitio, cum necesse etiam sit, eas rite adplicari (§. 10.) hoc vero fieri nequit, nisi cum suis rationibus cognoscantur. In adplicatione enim legis ad casum singularem, ex rationibus, quibus lex fundatur, dijudicandum est, utrum hæc speciales circumstantiæ sub generali legis præcepto contineantur, vel minus. Neque ignoratis iis, lex apte & sine erroris periculo ad casum propositum adhiberi potest. Et quidem in praxi tantum a vero deflexisse, qui juridica tractant, quantum a rationum cognitione abfuerunt, experientia sæpius edocuit. Quo plura sunt quæ difficultatem inducunt in Doctrina legum (conf. §. 53.) eo magis commendanda est solida earum scientia.

§. LVI. *Rationes vero Legum eruat primo ex jurisprudentia naturali.* Demonstravimus in superioribus necessitatem juris naturalis in jurisprudentia legislatoria. Quemadmodum vero ex iis intelligitur; leges civiles juri naturali esse superstruendas (§. 22.) ita etiam planum fit, jurisconsultum, cujus est ratio-

rationes legum detegere ( § 55. ) easdem inderuere oportere. Leges civiles generales notiones moralitatis, justitiæ, æqvitatís, honesti & decori non tradunt, nec eorum fundamenta & principia exponunt; hæc itaqve ex Jurisprudencia Naturali addiscenda sunt. Cum generalia illa fundamenti loco, in omni legum civilium tractatione speciali, subternenda sint. Nec quæ legibus civilibus generaliter determinantur ( §. 37. ) ignoratis his principiis, rite ad specialiora adplicari possunt. Interdum etiam quæ leges civiles non definiunt ( conf. §. 11. Domi. Reg. ) ex æqvitate naturali dijudicanda sunt. Multa hic dici possent de doctrina pastorum & imputationis, ceterisque, quæ in jurisprudentia civili tantæ sunt necessitatis, ut ea ignorare non possit jurisconsultus; verum, cum ad specialia heic descendere non liceat, mittimus ista.

§. LVII. *Deinde quærendæ sunt rationes legum in doctrina civili.* Politicæ enim sive doctrinæ civili innituntur leges ( §. 22. 36. ) Horum itaqve rationes ex ea repetat jurisconsultus. omnes quidem civitates in nonnullis conveniunt, in multis vero differunt. Quælibet peculiare quid habet, & cujuslibet naturæ leges sunt attemperandæ. Civitatis itaqve structuram & compagem imprimis pervideat jurisperitus. In civitate enim bene constituta, singula ad eundem finem, veluti commune centrum, collineare debent, haud aliter ac in horologio rotæ, vel in corpore humano partes, singulæ suas habent functiones, omnes ad eundem scopum tenden-

tendentes. Et ex hac ipsa rerum connexione atque harmonia, leges intelligat, & earum ostendat fundamenta.

§. LIX. *Praeterea in legibus interpretandis & applicandis, maximum praestat usum Doctrina Prudentiae Privatae: quam alii etiam Prudentiam Consultatoriam dicunt.* Huic quoque superstruuntur & accommodantur leges (conf. §. 35. 22.) Tradit haec doctrina speciales prudentiae regulas, quibus dirigendae sunt privatorum actiones. Jurisconsulti vero est cavere h. e. id agere, ne vel ipse vel alii, qui eum consulunt, dicipiantur. Ea enim est multorum malitia, ut, quae sibi onerosa videntur, irrita reddere nitantur. Quod in pactis atque contractibus haud raro fieri solet. Hinc varias quaerunt elabendi rimas, variaque excogitant eludendi artificia, quae praevidere Jurisconsulti est, & eas ingredi rationes, quibus prava ejulcemodi solertia, vel omnino excludatur, vel facile confundatur. Praeterea, variis in negotiis atque curationibus quaeritur, an quid prudenter sit factum nec ne, atque luenda aliquando est culpa imprudentiae. Cujus gradus ut recte definiantur, generales prudentiae regulas in subsidium vocare oportet. Intelligitur jam ex his usus Prudentiae Consultatoriae.

§. LX. *Porro legibus interpretandis earumque rationibus reddendis inservit Historia.* Statui enim civitatis accommodandae sunt Leges (§. 36 57) imo ad civium propensiones, mores & consuetudines attemperandae (§. 42 - 45.) Haec vero omnia docet atque illustrat Historia. Quin etiam leges in praesenti re-

rum statu fundatas interpretaturus, memoriam repetere debet antiquiorum temporum; in præteritis enim præsentia sui agnoscunt rationem. Sic e. g. qui leges regni fundamentates explicabit, statum civitatis & formas regiminis, quæ olim fuerunt ad præsentem usque ætatem exponet. Quod in explicandis antiquis legibus notitia antiquitatum sit necessaria, per se evidens esse existimamus.

§. LX. Quod vero *Historiam ipsarum legum* attingit, eam imprimis *Jurisconsulto commendamus*. Ex hac enim ortum, progressum, mutationes & fata legum, mutationumque ipsarum causas repetere debet. Eius est leges antiquiorum temporum cum hodiernis conferre; earum convenientiam cum his vel repugnantiam ostendere, & cum genuinis suis rationibus explicare. Tradit præterea hæc juris Historia notitiam legum cæterarum gentium. Nec in Jurisprudencia exigui erit momenti, aliorum statuta & leges cum suis comparare; cum hæc collatio interdum genuinis legum rationibus inveniendis viam aperiat. conf. §. 46.

§. LXI. Cum etiam ex *Oeconomicis* rationes legum petendæ sint, *scientiam Oeconomicam Jurisperitus ignorare non debet* (§. 55.) Et quis ignorat in ipso L. L. codice nostro multa occurrere *Oeconomica*, atque etiam negotia hujuscemodi varia ad Judicis officium spectare. Prætereo nunc *Jurisprudenciam* strictè sic dictam, de qua in sequentibus non nulla adferemus.

§. LXII. L. C. Religioni revelatæ non repugnent

gnent §. 25. sic itaque eas explicabit interpres, ne in capita Christianæ fidei impingat. In his itaque ut & in dirimendis controversiis circa religionem, ceterisque ad jurisprudentiam Ecclesiasticam pertinentibus *subsidio Theologico indiget Jurisconsultus.*

§. LXIII. Multis etiam quæ ad forum Iuridicum spectant inserviunt disciplinæ Mathematicæ: sic e. g. in decidendis controversiis de limitibus, maximum præstat ulum Geometria, quæ terras metiri, & locorum ichnographias describere docet. Lucem quoque affundit statutis quæ de ædificiis publicis atque privatis præcipiunt intelligendis & adplicandis Architectura Civilis. *hit hõra förordningar om byggnader och huseföner.* Neque sua laude in his detraudanda est Architectura Militaris, ipsi enim non pauca statuta, & quæ ad duo patriæ Collegia (Kongl. Krigs och Admiralitets Collegierne) pertinent negotia superstruuntur. Ut cæteras Matheleos partes silentio prætereamus. *Non itaque licet Jurisperito, rerum Mathematicarum esse ignarum.*

§. LXIV. Nonnulla quoque in Doctrina Juris a principiis Medicorum pendent. Huc refero quæstiones de cæde, vulneratione, tætu immaturo: Et quæ sunt alia. *Medicinæ itaque operam aliquam dedisse, Jurisprudentem non pœnitebit.*

§. LXV. Jurisprudentia Patriæ dividi potest in Publicam, Oeconomicam, Ecclesiasticam atque Privatam, seu magis hanc appellare scientiam jurisprivati. *Objectum Jurisprudentiæ Publicæ constitu-*

ant omnia pacta, conventa, leges atque statuta, quæ statum publicum atque potissima civitatis negotia definiunt.

§. LXVI. Hic primum occupant locum instrumentum illud, quo S: a R: a Majest. de modo administrandæ Republicæ fidem dedit: & alterum illud quo forma regiminis describitur. ( Kongl. Majts försäkran och Regerings formen. ) Continentur hic Principis & civium mutua jura & officia, Explicantur etiam jura & officia Senatus & Collegiorum Regni: atque primariis negotiis publicis modus & exercitium præscribitur.

Hæc jam excipiant singulorum Ordinum Privilegia. Sequuntur hæc ordinationes, quibus Collegiorum regni officia singulatim magis determinantur. Kongl. Collegiernes instructioner. Deinde huc spectant ordinationes Nobilioribus officiariis præscriptæ e. g. Öfver Ståthållarens, Justitiæ Cancellarens och Landshöfdinge instructionerne &c.

Postea his accedunt ordinationes aliis officiariis datæ e. g. Landtmätare / Håradsfogde och Hårads skrifsivare instructionerne &c. &c.

§. LXVII. Multa eorum quæ jam recensuimus ad Jurisprudentiam quoque Oeconomicam pertinent, ut ex mox dicendis patebit, sed hoc non obstat, quo minus Jurisprudentiæ publicæ sint objectum. Sine horum enim aliqua cognitione, status civitatis publicus, & negotiorum in eo subordinatio, intelligi nequit. Nam quod decernit suprema majestas, id continuo mandatorum descensu perve-



37

pervenit ad infimi ordinis officarios exsequendum.

§. LXVIII. *Jurisprudentiæ Oeconomicae* objectum sunt Leges quæ de oeconomia agunt. Per *Oeconomiam* autem intelligimus, omnia illa instituta & negotia quibus bona adquiruntur, conservantur & ad legitimos usus dispensantur. Hæc negotia vel privato nomine obeuatur; vel publico. Illa *Oeconomiam Privatam*: hæc *Publicam* absolunt. Ad *privatam* spectant primo agricultura: quæ varias sub se comprehendit species, nimirum: Agriculturam strictè sic dictam, pratorum, sylvarum & hortorum cultum, rem pecuariam, piscaturam &c. Deinde huc pertinent, res metallica, artes manuaræ, commercia & navigatio. De hisce variæ promulgatæ sunt leges privatis observandæ, circa quas versatur *Jurisprudentia Oeconomica Privata*. Huc etiam referendæ sunt Leges sumtuariæ, quæ sumtibus civium privatis modum definiunt. Et quæ sunt aliæ hujus generis.

§. LXIX. *Oeconomia Publica* continet illa instituta & vel Collegiorum, vel officiariorum, curationes quibus propositum est id efficere, ut *Oeconomia civium privata* floreat. Deinde *Oeconomiam Publicam* est id agere, ut redditus publici & vectigalia rectè colligantur, asserventur & in usus legitimos distribuuntur. Quæ variis regni Collegiis sunt commissa. Multæ etiam & propemodum innumeræ extant leges, quæ aliorum, qui his subordinati sunt,

lunt, officia describunt. Harum omnium complexus Oeconomiam publicam absolvit.

§. LXX. *Jurisprudentia Ecclesiastica* occupatur circa leges, quæ de externo regimine ecclesiæ rebusque variis huc spectantibus agunt. Quarum præcipuæ ordinantia Ecclesiastica comprehenduntur. Jus Ecclesiasticum principiis Theologicis & Politicis nititur (§. 25. 36) Qui itaque hanc Jurisprudentiæ partem rite tractabit, jura Ecclesiæ & Reipublicæ propria bene habebit perspecta, & quæ utriusque sint limites exacte definiat. Ex antiquitatibus etiam Ecclesiasticis, varia Ecclesiæ instituta eorumque ortum, progressum & fata explanabit. §.

§. LXXI. *Jurisprudentia privata* strictè sic dicta, in codice L. L. patriæ, aliisque constitutionibus, quæ in eo desiderantur supplementibus, interpretandis versatur. Dividitur in *Civilem Criminalem & Processualem*. Quibus ex fontibus hæc tractatio petenda sit ex antecedentibus patet.

§. LXXII. Multa in amplissimo hoc argumento explicanda rastarent, sed temporis & instituti ratio hic vela contrahere jubet.

S. D. G.

